

6

varium intuituum ad unitatem obiectivam
coniungendi. *

* En absolutam prædicatorum istorum seu categoriarum tabulam, sub quibus solis usus intelligentiæ nostræ possibilis est. a) Ratione QUANTITATIS: *unitas, multitudo, totalitas*. b) Ratione QUALITATIS: *realitas, negatio, limitatio*. c) Ratione RELATIONIS: *substantia et accidentis, causa et effectus, communio*. d) Ratione MODALITATIS: *possibilitas et impossibilitas, existentia et non-existentia, necessitas ac contingentia*.

** Omne obiectum in ea ad nos est relatione, ut non nisi per istos conceptus cogitari valeat; atque subiectiva isthæc prædicata de obiectis ipsis recte enunciantur.

VIII. Sicut intuitus sine conceptu cœci, ita conceptus puri absque intuitu inanes sunt; obiectum ergo aliunde dari necesse est, ut cum eo ceu subiecto coniungantur: hac relatione primum categoriæ significatum aliquem accipient, et cognitionem obiectivam præstabunt. *

* Quid cogitare et cognoscere? quid scientia, fides et opinio?

IX. Ad habendam autem cognitionem *a priori*, obiectum quoque *a priori* datum requiritur, cuiusmodi nulla nobis innotescunt, nisi intuitus puri *spatium* et *tempus*: hac igitur, sed etiam hac sola ratione cognitio quædam